

VIII. *De Lapide Osteocolla Inquisitio, Auctore Ambrosio Beurero Neurembergensi; communicata per Dominum Petrum Collinsonum, R. S. S.*

*Read May 9.
1745.*

LAPIS Osteocolla variis nominibus insignitur; communissime tamen *Ostiocolla* sive *Osteocolla* dicitur, quod vocabulum ex duobus græcis ὄστεον, os, & κόλλα, gluten, componitur: alias etiam audit lapis ostites, ollostcos, ossina, ossifana, ossifraga, lapis *Asiaticus*, *Pierre de Monti*, lapis *Morochius*, flores arenæ, fossile arborescens, lapis sabilis, lapis arenosus; *Germanico* idiomate, **Steinbruch**, **Bruch**-**Stein**, **Steinbruch**-**Stein**, **Knochen**-**Stein**, **Hand**-**Stein**, **Bein**-**heyl**, **Beinbruch**-**Stein**, **Bein**-**Quell**-**Stein**, **Bein**-**Knochen**-**Stein**, **Stein**-**Blumme**.

Majores nostri nullum habuere hujus lapidis notitiam, putantes esse ossa petrefacta; aliis speciem gypsi credentibus.

Osteocolla autem provenit in ducatu *Crossensi*, *Silesiae*, *Pomeraniae*, *Hassiae*, *Saxoniae*, *Poloniae*, *Darmstadtii*, *Heidelbergæ*, *Spiræ*, *Jenæ*, *Megalopoli*, in marchionatu *Brandenburgico* ad *Bescoviam*, *Snonebergam*, & *Drossenam*.

Tellus, ubi provenit, semper est fabulosa & sterilis; passimque nihil aliarum arborum aut plantarum conspicitur, nisi meræ populi: nullæ autem, quod quidem tradunt, inveniuntur in vallibus, neque oriuntur

B b b

a sca.

a scaturigine, neque unquam in viis lutosis deprehenduntur.

Kreutermannus nonnemini quicquam obtulit domus atque arcis figuram sistens: magis autem tophus, quam Osteocolla fuisse videtur. *Mercatus* quoque vera ejusdem caruit notitione, dum petrefacta & tophos calcarios ejusmodi nomine insignivit, quorum hi *Hermanno* judice magis bolaria aut cisti sunt.

Quod attinet ad ejus originem, provenit in modo memorata tellure fabulosa ad quorundum pedumi profunditatem, & radicis gerit figuram. Maximos vix duabus manibus complectaris, reliquæ sensim sensimque sunt minorcs. Quantum ad consistentiam, Osteocolla sub terra adhuc latens nunquam est dura, sed semper mollis & limosa, adeo, ut si digitis teratur, prorsus sebacea & pinguedinosa sit, tum autem siccata albescat, ut calcarium quicquam. Ut sub terra reperitur, partim cana est, partim flava aut alba, exteriusque sabulum eidem copiosum adhæret. Propter mollem consistentiam non omnino integra eximi potest, ut veram radicis figuram gerat, nisi artificiose aggrediaris negotium, & nonnullas forte septimanas, aut aliquot menses, in illud insumas, siquidem raptim ablato sabulo rumpitur: unde sequentia sunt observanda, ut,

1. Laboriose & patienter quæratur:
2. Sabulum lente abstergatur:
3. Procul a radice auferatur:
4. Dispiciatur, annon parvæ radices secundariae irregulariter propullantes adsint, quas cavendum est, ne decutias :

5. Non multæ simul fodiantur, sed potius aliquantum moræ illis indulgeatur, quæ siccentur atque durescant: tum,

6. Fovea asseribus obtegatur, ne quid ei fortuito illabatur aut pluvia illam conspergat:

7. Fossio non est repetenda, nisi exstantibus probe duratis:

8. Calida sicca atque leni tempestate afferes rursus auferantur, ut eo citius exsiccatur:

9. Fossio è longinquo incipiatur, cum inferius plerumque aqua inveniatur.

Osteocollam intus cavam esse, plurimi quidem norunt auctores, in eo tamen invicem differunt, utrum illa in vegetabilium an mineralium numerum sit referenda. Plurimi veterum eam ad ossa retulerunt metamorphosin experta, alii contra negant, quum perfecta ossium fragmenta non inveniantur, neque in chemia ullum partium animalium vestigium comparreat. *Erasmus* admodum verisimiliter de ea scripsit: qui Osteocollam pro ossibus non agnoscunt, minerale eandem agnoverunt è fabulo genitum, & jure quidem suo; *Dn. Prof. Teichmeyerus* eam margam nuncupat; *Dn. rei metallicæ consiliarius Henckelius* ad mineralia eam refert, generationem autem ejusdem reticet; *Dn. Prof. Junckerus* eam in fabulo gigni perhibet, non autem addit, num ex arborum stemmatis, an e radicibus proveniat. Ego eam radicem puto, cui arena adhærescit, quæque sensim ita generatur. Et quamvis satis Osteocollæ inveniatur, nihil tamen unquam ligni arborei aut saltem viride conspicitur supra terram extans; &, licet de origine hujus Osteocollæ ejusque arboris, cuius radix in Osteo-

collam jam degeneraverat, exacte inquisitus essem, diu tamen id mihi non contingerat, nisi ad ultimum; ubi tandem tamen ad *Zernium*, haud procul a *Zoffena*, aridum ejusmodi ramulum & viridem frondem conspexi, quod arbori, superius adhuc lignosæ, inferius autem in meram Osteocollam jam transmutatae adhaerat, quæ accuratius paullo examinata species Populi erat.

Origo ejus igitur querenda est in populo nigra, cuius arbore aut stemmate decisis aut petrificatis & corruptis, Osteocolla radici sensim accrescit, primario aut surculis.

In omnibus vero etiam Osteocollæ partibus inveniris, iis adhuc aliquid lignosi inesse, utut jam putrefacti, coque elapso eas perforari, ita uti ossi similes appareant. Nunquam autem in arboribus prope illas atque in eadem tellure collocatis Osteocollam inveni: quodsi tellus esset in causa, in pinis, betulis, & similibus reperiri oporteret. Hoc vero docet,

1. Nunquam fere Osteocollam in regionibus *Salinæ* deprehendi:

2. Credendum esse, ubi Osteocolla invenitur, ibi semper antea populos extitisse:

3. Omnes Osteocollæ fossores visuros, eam fuisse radicem:

4. Unum adhuc criterium suppeditari posse, ubi quid Osteocollæ invenitur, ibi ordinariæ aliquid calcariorum ossium prominere videri, quæ florem exprimere videantur: unde multis venit in mentem eam crescere & florere.

Osteocolla igitur est sub fabulo, semper autem eo tantum loco, ubi radices sitæ erant, quibus adhaerens

refcens sensim obduruit, atque in quantum eminuit, in alborem se induit; quodsi quid ejus dissimile invenitur, casu fortuito illi fortasse afflatum est. Radice inventa, spithamam unam profundius fodi potest, & certo Osteocolla reperietur. Osteocolla igitur, quam diu sub terra manet, mollis, aut circiter instar calcis maceratae fabulo permixta: ubi vero humor in aërem abiit, sensim etiam magis indurescit.

Ad generationem ergo requiritur

(a) Radix populi:

(b) Si ne radix populi quidem conspici queat, ope tamen distillationis vegetabile in olco empyreumatico demonstrari potest:

(c) Ad generationem multum confert acidum salis fabulo arcte unitum:

(d) Ut & arena subtilis, quum in chemia notum sit, in arena semper aliiquid acidi remanere, atque adeo semper lapidescens quid adesse, ut ita, vi dictorum, acidum salis una cum multo humore fabuli materiam constituat, nisi quod hic liber aëris accessus adhuc desit, quum alias in terra jam in lapidem transformatum fuisset.

Hoc inde apparet, quia,

1. Massa, simulac aëri committitur & siccatur, indurescit:

2. Destillatio aliiquid empyreumatici petrolei ē partibus vitriolicis & bituminosis constituti ostendit:

3. Si oleum vitrioli Osteocollæ affunditur, acidum salis communis inde secedit:

4. Osteocollam vero non esse calcem, inde probo, quia ego nullo modo hanc elicere potui.

Ego Osteocollam variis menstruis aggressus sum visurus, quantum cujusque pondus in unoquoque eorum solveretur : unde semper Osteocollæ drachmam dimidiā atque cujusque menstrui unciam dimidiā hoc fine sumsi, sequentia ibi observavi :

- (a) Oleum vitrioli iv. ejus grana solvisse, quæ solutione erat coloris flavi, residuum vero ex albo flavescens :
- (b) Spiritus vitrioli omnia in formam salinam reddit :
- (c) Spiritus nitri ejus scrupulum i. grana iv. &
- (d) Acidum salis communis scrupulum i. grana vi. solvisse :
- (e) Aqua regis vero scrupulum i. grana iv. utramque autem solutionem flavam evasisse, residuum autem ex albo flavescens :
- (f) Acetum destillatum etiam scrupulum i. cum dimidio solvisse, solutionemque ejus subflavam evasisse ; residuum vero, ut cætera, a menstruo quoad coloris mutationem immunia manisse.

Osteocolla itaque, ut in officinis usurpatur, minera est putanda, in primis vegetabili inde separato ; potest dici terra calcaria ; non autem mutat syrum violarum.

Ope destillationis igne aperto factæ suppeditat spiritum urinosum ; alcali fixo affuso effervescit, simulque prodit spiritum urinosum ; residuum aquæ admicculo in lixivium redactum nihil produxit salini ; simul etiam unam residui partem in calcem redigere studui, nullam autem calcem obtinui. Quod si vero oleum vitrioli Osteocollæ affunditur, acidum salis communis

communis inde secedit. Osteocolla alcali calcinata opacum vitrum constituere videtur, rursus autem in aquam resolvi potest, indeque verum vitrum nondum est putandum; Osteocolla retortæ tubulatae indita, lenique igne imposita, oleoque vitrioli per tubulum affuso spiritum salis inde liberat, qui etiam destillando obtineri potest. Ego etiam obtentum hunc spiritum salis, hanc ob rationem sale alcali fixo saturavi, & sal commune regeneratum effeci, postea siccatum retortæ rursus immisi, oleum vitrioli affudi, iterumque in retortam indito, oleum vitreoli infudi, denuoque destillando spiritum acidum salis communis obtinui.

Summa Osteocollæ basis est sambolum; nonnulli volunt lac lunæ, medullam *Saxonum*, & lapidem Osteocollæ unum idemque esse, quod vero falsum est. Si quid rubicundi in Osteocolla fuerit repertum, martiale quid in vicinia adfuisse. Usus ejus medicus est absorbens; unde a nonnullis ad fluorem album secundum adhibetur.